



Universitätsbibliothek Paderborn

**D. Burchardi VVormaciensis Ecclesiae Episcopi,
Decretorum Libri XX. ex Consiliis, & orthodoxoru[m]
patru[m] Decretis, tum etiam diuersaru[m] nationum
Synodis, ceu loci communes congesti, in quibus ...**

Burchardus <Wormaciensis>

Parisiis, 1549

De eadem re. ciii.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10722

D. BURCHARDI EPIS. VVORMAC.

hostis, quem à lectione siue ab oratione vacantem inuenērit, facildē ad vitia rapit. Per vsum nanq; lectionis discetis, qualiter & vos viuatis, & alios doceatis. Per vsum orationis, & vobis & his, quibus in charitate coniuncti estis, proficere valebitis. Per manuum operationem & corporis macerationem, & vitis alimenta negabitis, & vestris necessitatibus subuenietis, & habebitis vnde necessitatem patientibus porrigatis.

Vt presbyteri sine orariis non vadant. Cap. CI.

*Ex cōcil.
Mogūti.*

Presbyteri sine intermissione vtantur orariis, propter differentiam sacerdotalis dignitatis.

Vt clericus artificio honesto victum quærat. Cap. CII.

*Ex cōcil.
Africa.
cap. 51.*

Clericus quilibet verbo Dei eruditus artificio honesto victum quærat.

De eadem re. Cap. CIII.

*Ex eodē
cōcil. ca. 3*

Clericus victum & vestitum sibi artificio vel agricultura absque officij sui duntaxat detrimento præparet.

De presbyteris, matutinali officio expleto quid agere debeant. Cap. CIII.

*Ex cōcil.
Hamnet.
cap. 60.*

Presbyter mane Matutinali officio expleto, pensum soluitutis suæ canendo Primam, Tertiā, Sextam, nonāque persoluat: ita tamen, vt postea horis competentibus & signis designantibus iuxta possibilitatem, aut à se, aut à secularibus publicè compleantur. Deinde peractis horis, infirmis visitatis, si voluerit ad opus rurale exeat ieiunus, vt iterum necessitatibus peregrinorum & hospitem, siue diuersorum commentium, infirmorum quoq; atque defunctorum succurrere possit vsque ad statutam horam, pro qualitate temporis & opportunitatis.

De eadem re. Cap. CV.

*Ex dictis
Benedicti*

Propheta dicēte, Septies in die laudem dixi tibi: Quia septenarius numerus à nobis sic implebitur, si Matutino, Primæ, Tertiæ, Sextæ, Nonæ, Vesperæ, Completorii que tempore nostræ seruitutis officia persoluamus: quia de his dixit Propheta, Nam de nocturnis vigiliis idē ipse ait, Media nocte surgebam ad confitendum tibi, &c. Ergo his temporibus referamus laudes creatori nostro, super iudicia iustitiæ suæ.